

Academia Julia

**Programma De Spiritu Gratiae Ex Zach. XII. 10. Festo Pentecostes A. MDCCXXXI.  
In Academia Ivlia P. P**

Helmstadii: Typis Pavli Dieterici Schnorrii, [1731?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154995>

Druck Freier  Zugang







49. cl. 5.

51

Fa - 1092 (51.)



1. Phil. Dav. Kraeuterus de eo, quod sublime est in oratione  
adu. Interp. Wertheimensen ad Gen. 1.3. Jenae 1738.
2. Jo. Meißner de imagine Dei in homine ante lapsum ad Gen. 1.  
v. 26. 27. Witteb. 1676. rec. ib. 1703.
3. 4. 5. Jo. Cha. Klemmius de ἡρώτων protoplastorum serpente  
ad Gen. III. 1 ff. Tubingo 1730. 1739.
6. Albertus Schumacher de ἑπισημῶν sacrificii Abelis ad  
Gen. IV. 4. Brema 1718.
7. Christi. Lud. Schlichter de iride eiusq. emblemate ad Gen.  
Gen. IX. 12-17. Hala 1739.
8. Jo. Georg. Neumannus de mensura peccatorum impleta  
ad Gen. xv. 16. Matth. xxiii. 32. Witteb. 1704.
9. Pet. Zornius de fisco iudaico eiusq. calumnia S. C. subla-  
ta ad Gen. xxi. 10. Ies. vii. 8. Matth. III. 10. Luca 11. 1. 2. 3.  
et Actor. v. 37. Sediti 1732.
10. Just. Georg. Beltneri Schilo nodis solutus ad Gen. xlv. 10.  
Altorfii 1710.
11. Abrah. Calovius de regali sacerdotio ad Exodi xix. 5. 6.  
et 1 Pet. II. 9. Witteb. 1679. rec. ib. 1701.
12. Gustav. Peringerus de Afafete, s. hircu emissario ad  
Levit. xvi. Upsalia 1603.
13. 14. Jo. Wissmull de hircu emissario ad Lev. xvi. Lena  
1664 et 68.
15. Jo. Joach. Schröderus de hircu emissario eiusq. ritibus  
et mysterio. Naeb. 1725.



16. Dav. Richteri physiognomia Davidis. Jenae 1775. ad Leuil.  
xxi. 16 ff. Jenae 1715.
17. a. Jo. Trey vindicia loci Num. vi. 22 ff. a detorsionibus West-  
heimensis Pentateuchi Interpretis. Jenae 1739.
17. b. Jo. Legat. Reckenbergi disputatiuncula de Ebraeor.  
electis s. studiosis ad Jo. Trey. 16. eod.
18. A. C. Fahrenholtz de immunditie ex conturbatione  
mortuorum secund. legem Mosaicam Num. xix. Helmsf.  
1768.
19. Jo. Cass. Haferung de Bileamo incantatore & Propheta  
periodico. Wittenb. 1739.
20. Jo. Dav. Trillo Deum Triunum esse ex Deob. vi. 4.  
assertum. Franc. ad Radr. 1736.
21. Mich. Chr. Rudmeyer de Aarone viro sancto tribus  
Leui, typo Christi ex Deob. xxxiii. o. Gryph. 1738.
22. Jo. Mich. Lorentz de supplicio Achanis ex Josue viii. Argentor. 1735.
23. Petr. Breker de miraculo folii et luge in hemisphaeris. Gubio.  
nis et Ajalonis ad mandatum Josuae statuum ad J. X. 12. 13. Jenae 1739.
24. Carol. Ludov. Fohel de Rutha nocte Profum infantis et ab alicuius  
criminationibus vindicata ad Ruth III. 2-10. Ged. 1729.
25. El. Sieberadii Theologus heres, ab Elia alio propheta in ecclesia  
corruptissima olim expressus ad 1 Reg. xix. 10. Argentor. 1722.
26. Haac. Truffas exheritatio ad P. inscriptionem Galeni xxxiv Davidis.  
Argentor. 1699.
27. Anonjmi meditatio de Jesu Christo victore, providam distribente.  
Ger. ff. ad J. xxviii. 19. Gerac. 1729.
28. Christiani Edy. Schwandt de expiatione hysopo facta ad P. li. 9.  
Lipf. 1730.
29. Theod. Dassonius de lustratione Hebraeorum ad P. li. 9. et Hebr. I. 15. 14.  
1692. rec. Wittenb. 1735.



30. Corn. Dieter. Korkius in Paln XCI. Helust 1729
31. Jo. Henr. Boerlin disf in Op. CXIII. Angel. 1708.
32. Eund. observationes miscellae ad Ps CXIV ibid. 1712.
33. J. F. Fauph ex oratio is sententiam Salomonis Prov. XVI, 4. ibid. 1695.
36. Gartau. Georg. Seltner de causis fidei, inter rationis tenebras emergent.  
ad Gen. VIII, 19. 20. Actonf. 1729.
37. Programma academiae Jubingensis ad Jer. XXXI, 22. 26. pag. Jub. 1719.
38. Jo. Christi. Heberstreich de Baron ad illustrandum St 1105 Geck.  
VIII, 17. Lips. 1713.
39. Jan. Spessinger de Sancti Michaelis Angelorum auxiliatore. ad Dan. X, 13.  
Argentor. 1713.
40. Programma academiae Helust. de Michaelis Archangelo. ad Dan. X, 13. el.  
20. Helust. 1722.
41. Stor. Ludov. Königsmantel de judae Israels virga super mapalam permissa.  
ad Nich. II, 14. Jen. 1739.
42. Ab. Henr. Verpoorterus de justitia fidei ad Mat. II, 3. 4. Ged. 1726.
43. Jo. Geor. Michaelis de vires stante inter myrtos. ad Zach. II, 7. Hal. 1737.
44. Programma de Spiritu Gratiae ex Zach. XII, 10. Helust 1731.



16. Jan

17. a. Jo.

17. b. Jo.

18. A.

19. Jo.

20. Jo.

21. Me

Le

22. Jo

23. Jo

24. Ca

25. E

26. Jo

27. An

28. Ch

29. Tr



44.

PROGRAMMA  
DE  
SPIRITV GRATIAE  
EX ZACH. XII. 10.  
FESTO PENTECOSTES  
A. 1633XXXI.  
IN ACADEMIA IVLIA  
P. P.

---

HELMSTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

45.



PROGRAMMA

DE

SPIRITVS GRATIAE

EX EXCH. III. 10.

VESTO PENTECOSTES

A. MDCCXXXI

IN ACADEMIA IVLIA

ET

HELMSTADII

TYPIIS PAVLI DIEFFENICI SCHNORRII  
ACAD. TYOGI



ACADEMIAE JULIAE  
PRORECTOR ET SENATVS

CIVIBVS SVIS

S. P. D.



Vmma eademque regia Persarum auctoritate ex captivitate Babylonica dimissi Judaei, Hierosolymam ac in reliquas Palaestinae provincias redeundi licentiam impetraverant, divinique auspiciis sub moderamine Zorobabelis Principis & Jesu supremi Sacerdotis omnem operam navaverant, ut non modo sanctam urbem de novo exstruerent, novisque muris ac munimentis eam cingerent, verum etiam aedem Domini magnificis sumptibus instaurarent, & cultum clementissimo Numini praestandum subinde renovarent (*a*). Quem in finem coeptum opus indefesso studio urgere pergebant, molestissimosque & fere quotidianos labores incredibili sedulitate continuabant, ac initio de feliciore successu gloriabantur (*b*); sed postea, quum in Procerum aulaeque Ministrorum odium paulatim

A 2

addu-

(*a*) Efr. III. 8. V. 2. Hagg. I. 12. II. 5. Sir. XLIX. 13-15.

(*b*) Efr. III. 10. 11.



adducti, partim malevolorum hominum insidias, partim inimicorum machinationes, partim denique calumniatorum nequitas cognoscerent, animum abjiciebant, jactisque publicorum aedificiorum fundamentis templum, cujus ornamenta pristino splendori & magnitudini ( $\gamma$ ) nequaquam respondebant, reparare detrectabant ( $\delta$ ). Clandestinos enim eosdemque infensissimos adversarios, cum quibus perpetuum ipsis certamen erat ( $\epsilon$ ), nacti fuerant Samaritanos, qui istis temporibus nihil aliud agebant, quam ut populum Judaicum accusarent, eoque consilio diversa criminum flagitiorumque genera prolixis orationibus explicarent, & coram Satrapis ac Praefectis singula commemorarent, fraudibusque & fallaciis tam diu uterentur, donec aliquod interdictum extorquerent, & tum imbecilliores metu deterrerent, tum etiam fortissimos quosque armata vi impedirent. Tot igitur tantisque difficultatibus afflictos & tam variis injuriis agitados erigere conatur Zacharias Barchiae filius, atque à Deo sufficienter instructus  $\lambda\omicron\gamma\iota\alpha \Theta\epsilon\acute{\sigma}$  ( $\zeta$ ) sive divina oracula pronunciare aggredditur, ac imprimis auctor ipsis fit, ut ne tristissimum Ecclesiae & Reipublicae Judaicae statum deplorarent, sed potius animum confestim colligerent, ac inchoatis operibus colophonem vel ultimum lapidem imponent, fratresque in vinculis relictos hac ratione consolarentur. Quamvis enim hostes omne  
omni-

( $\gamma$ ) Efr. III. 12. Hag. II. 4.

( $\delta$ ) Efr. IV. 4. 5. 23. 24. Neh. I. 3. Hagg. I. 4.

( $\epsilon$ ) Joh. IV. 9.

( $\zeta$ ) 1. Petr. IV. 11.



omnino praesidium, quod modo cunque operariis ul-  
 li adjumento fore arbitrabuntur, ipsis eripere, & ad  
 evertendum iniquo judicio suppressendumque lau-  
 dabile institutum indulgentia Regis & Magnatum  
 abuti nullatenus cessarent, nihilo minus tamen Pro-  
 pheta magni spiritus, ut Hieronymo audit, diligenter  
 hortatur, ac aedificium templi **כי אם ברוח אלהים**  
 (n) non nisi in Spiritu Dei coelestique potentia con-  
 summari debere, nec ullo modo ad humanas vires,  
 aut arma militum, aut ingentem mercenariorum nu-  
 merum respiciendum esse gravissime inculcat. Et  
 quemadmodum Judaei post felicissimum ex captivi-  
 tate reditum suum sub ipsa restaurandae Hierosoly-  
 mae primordia laetitiae signa dederunt, & solemniori  
 ista acclamandi formula **חן חן לה** (s) duci Zorobabeli  
 faustissima quaeque apprecati sunt, nihilque magis in  
 votis habuerunt, quam ut summum Numen sanctissi-  
 mi Spiritus sui aura conatibus adspiraret, ita divinus  
 vates praedicit, fore, ut tandem aliquando universam  
 structuram ex animi sententia ad finem perducerent,  
 ac aeterno Deo subjectissimum in modum gratias de-  
 cernerent. Neque dubitandum esse passim (i) inter-  
 spergit, quin adversariis impugnandi impetusque fa-  
 ciendi potestas prorsus adimeretur, ac remotis adeo  
 obstaculis depulsisque periculis minori cum molestia  
 tota res transigeretur, si modo coelesti providentiae  
 eventum committerent, ac divinis pollicitationibus  
 fidem haberent (κ), poenitentiamque serio agerent

A 3

&amp;

(n) Zach. IV. 6.

(s) Ibid. comm. 7. &amp; 9.

(i) Zach. II. 9. XII. 9.

(κ) Zach. XII. 8.



(λ), & quamlibet comminationem poenasque tum temporales tum aeternas evitarent (μ). Quotquot ergo eorum reparationem templi vel laborum societate, vel collatione facultatum, aut aliis officiorum generibus adjuvabunt, illos omnes amplissimis praemiis ornatum iri concludit, ac simul spirituales promissiones magno numero enumerat, easdemque ad quosvis obedientes & fideles homines cum insigni emolumento redundaturas fore confirmat. Praeterquam enim quod ad exemplum aliorum Prophetarum, qui ante eum vaticinati sunt, nunc adventum Messiae in carnem (ν), nunc redemptionem ex inferno (ξ), nunc ascensionem in coelos (ο), nunc subinde plura momenta, quae memoriam Salvatoris nostri illustrent (π), luculentius edisserat, transfixionem sanctissimi corporis solus exponit, & latus Christi aliquando in cruce apertum iri (ϑ) docet. Quamobrem locupletissimum evangelicae consolationis thesaurum facpius recludit, & ut credentes eo magis excitaret, penitusque convinceret, ipsum Messiam aliquoties in omnibus fere capitibus & quam plurimis commatibus loquentem introducit, clarissimumque de eo testimonium perhibet, quod videlicet juxta tenorem verborum וּשְׁפַכְתִּי עַל בֵּית דָּוִד וְעַל יוֹשֵׁב יְרוּשָׁלַם רֹחַ הַקֹּדֶשׁ Spi-

(λ) Zach. I. 3. VII. 9. 10. VIII. 16. 17.

(μ) Zach. VII. 14. XI. 16. 17.

(ν) Zach. III. 8. VI. 12.

(ξ) Zach. IX. 11.

(ο) Zach. XIV. 4.

(π) Zach. IX. 9. III. 9. XIII. 7. XI. 12.

(ϑ) Zach. XII. 10. quoad posterius hemistichium coll. Joh. XIX. 37.



(σ) Spiritum gratiae super domum Davidis & super incolas urbis Hierosolymae effundere se velle gratiosissime pollicitus fuerit. Messiae enim in hoc priori hemistichio, quod paulo plenius explicare aggredimur, excellentissimum istud donum ac memorabilem Spiritus Sancti effusionem in Apostolos & quosvis fideles adscribi debere, non modo generatim ex prima verborum consideratione intelligimus, sed etiam speciatim tum ex argumento orationis, tum ex subsequenti nexu consequentium cum antecedentibus, tum denique ex collatione aliorum locorum Scripturae Sacrae colligimus. Magnum quidem scelus in vulnerando configendoque corpore suo Judaeos patraturos esse, conqueritur Christus in ara crucis, sed si conversionem centurionis reliquorumque circumstantium (τ) imitarentur, & ad testandos animi dolores ac suscipiendam veram fidem corda emollirent, Dominumque gloriae & aeternae salutis auctorem venerabunda mente agnoscerent, Spiritum Sanctum, qui poenitentiam ad Deum in ipsis accenderet, misurum se esse promittit. Jam vero de nemine alio, nisi de Filio Dei, sermonem institui, disertis verbis corroborat ipse, quando spectatores, signorum prodigiorumque magnitudine deterritos, אלהיך semetipsum in diebus carnis transfixum intuituros fore declarat, crucifixionemque & universam passionem suam pro fonte & scaturigine donorum Spiritus Sancti venditandam, ac post glorificationem suam

(σ) Zach. XII. 10. quoad prius hemistichium.

(τ) Matth. XXVII. 54. Marc. XV. 39. Luc. XXIII. 47. 48.



am (υ) coeleste illud & tam egregium beneficium fidelibus Novi Testamenti communicandum esse haud obscure significat. Quam sententiam non modo ipse (ϕ) post assumptam humanam naturam in conspectu discipulorum suorum confirmat, ac de mittendo alio Paraclete, nempe Spiritu veritatis, certiores eos facit, simulque mulieri Samaritanae vivam aquam dare se velle pollicetur (χ), verum etiam Apostoli, nominatim Petrus (ψ) & Paulus (ω), unanimes ore confitentur, quod Salvator noster Spiritum Sanctum super membra Ecclesiae liberali largissimaque manu effuderit. Unde animadvertimus, quod Spiritus Sanctus ad manifestandam firmandamque ejusdem à Filio missionem nunc πνεῦμα χάριτος (α) spiritus Christi, nunc quoque τὸ πνεῦμα τῆς υἱοῦ τῆς Θεοῦ (β) spiritus Filii Dei appelletur, ac idem, quem Deus Pater in antiquo Foedere (γ) פרוח פרוח spiritum oris sui vocaverat, in Novo Testamento (δ) πνεῦμα τῆς σόματος τῆς Κυρίας spiritus oris Domini sive Christi cognominetur. Quibus rebus ita comparatis ipsimet Orientalis Ecclesiae doctores, qui processionem Spiritus Sancti à Filio in dubium vocant, missionem ejusdem à Filio aequae ac à Patre in tempore factam negare non audent, sed potius Spiritum Sanctum

(υ) Joh. VII. 39. XVI. 7. 14.

(χ) Joh. IV. 10. 14.

(ω) Tit. III. 6.

(α) Rom. VIII. 9.

(γ) Psalm. XXXIII. 6.

(δ) 2. Theff. II. 8. adde Jes. XI. 4.

(ϕ) Joh. XV. 26. XVI. 7.

(ψ) Act. II. 33. X. 45.

(β) Gal. IV. 6.



Etum à Filio πέμπεσθαι καὶ ἐκχεῖσθαι mitti & effundi credunt, eundemque tum πνεῦμα τῷ πατρὸς spiritum patris, tum etiam πνεῦμα τῷ υἱῷ spiritum Filii esse nobiscum profitentur. Gratosissimam vero hancce missionem Prophetæ (ε) & Apostoli (ζ) effusionis titulo insigniunt, modumque donationis paulo accuratius designant, quandoquidem Spiritus Sanctus super credentes superveniat (η), & adinstar pluviae de coelo delapsae super eosdem cadat (θ), suavissimumque in modum tanquam ὕδωρ ζωῆς (ι) aqua viva, aut ὕδωρ ζωῆς (κ) aqua vitae, corda fidelium foecundet, ac veluti ἰησω μω (λ) sive ἔλαιον ἀγαλλιάσεως (μ) oleum laetitiae sensu veri gaudii (ν) subinde nos perfundat. Novissimis nimirum temporibus (ξ) Messias, simul ac in terris officio mediatorio defunctus fuerit, & in coelos evectus (ο) ad dextram Dei Patris sedere coeperit, festumque hebdomadum sive dies Pentecostes, qui erit à futura resurrectione quinquagesimus (π), appropinquaverit, Spiritum Sanctum, quem ut homo à Patre accepturus, ac ut Deus in

B

omnes

- (ε) Jes. XLIV. 3. Joel. III. 1. 2. (ζ) Act. II. 33. Tit. II. 6.  
 (η) Act. I. 8. XIX. 6. adde Jes. XI. 2. LXI. 1. Luc. IV. 18. Matth. III. 16.  
 (θ) Act. VIII. 16. X. 44. (ι) Joh. IV. 10. 14.  
 (κ) Apoc. XXII. 1. 17. adde Jes. XLIV. 3.  
 (λ) Psalm. XLV. 8. (μ) Hebr. I. 9.  
 (ν) Vnde Spiritus Sanctus רוּחַ נְרִיבָה spiritus laetitiae dicitur Psalm. LI. 14.  
 (ξ) 1. Petr. I. 5. 20. itemque 1. Joh. II. 18.  
 (ο) Act. I. 4. 5. 8. II. 33. (π) Act. II. 1.



omnes pios effusus est (e), Apostolis impertiri se velle promittit. Quotquot igitur ex credentium numero, quum Spiritus Sanctus effunderetur, horum donorum participes fieri cupiebant, illi τῆ̃ διανοία τῆ̃ Πνεύματος (σ) ministerio Spiritus utebantur, ac Evangelio Christi fidem habebant (τ), precibusque quam diligentissime indulgebant (υ), & impetrata peccatorum remissione baptismum, tanquam lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti (φ), sine mora suscipiebant (χ). Tantum vero abest, ut summam hance felicitatem fidelibus Veteris Testamenti abjudicandam esse autememus, ut potius Spiritum Christi per Prophetas locutum fuisse (ψ), ac in iisdem habitasse (ω), donorumque suorum varietate heroes exornasse (α), & nonnunquam ab illis, qui divinis mandatis morem gerere detrectarunt, recessisse (β) ex sacris literis discamus. Ipsas tamen promissiones, quarum complementa Deus nobis reservaverat (γ), non obtinuerunt veteres, neque de tanta copia ac ubertate spiritualium bonorum gloriari potuerunt, quantam postea fideles  
 Novi

(e) Ad locum Act. II. 33. Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 26.

(σ) 2. Cor. III. 8.

(τ) Rom. I. 16. coll. Gal. III. 14. adde Act. VIII. 37.

(υ) Luc. XI. 13. Act. I. 14. II. 42.

(φ) Tit. III. 5.

(χ) Act. II. 38. X. 47.

(ψ) 2. Sam. XXIII. 2. Ezech. XI. 5. Act. I. 16. XXVIII. 25.

(ω) I. Petr. I. 11.

(α) Judic. VI. 34. XIII. 25. XIV. 6. 19.

(β) 1. Sam. XVI. 14.

(γ) Hebr. XI. 40.



Novi Testamenti pro ineffabili benignitate & sapientia supremi Numinis experti sunt; sed illis rebus, quas reportabant, contenti vixerunt (d), ac in omnibus adversitatibus expectatione vitae aeternae sese sustentarunt. Nullum proinde dubium est, quin Messias sub titulo בית דוד וישב ירושם domus Davidis & civium Hierosolymitanorum ad futura & propediem subsequutura tempora respiciat, nullosque alios quam fideles Novi Testamenti intelligat, eoque ipso non unam saltem vel alteram gentem indiget, sed כל בשר (e) omni carni cunctisque nationibus, cuiuscunque etiam sint ordinis aut sexus aut aetatis, copiosiore gratiam & saluberrima quaeque oblatum iri vaticinetur. Ut enim doctrinam salutis ad Judaeos (f) pertinere, ac dona Spiritus Sancti, sine quibus vel ipsa doctrina confirmari, vel aeterna vita haberi nequit, in eosdem conferri debere clarissimis verbis testetur, attamen observamus, quod non tantum Samaritanis, infensissimis Hierosolymitanorum hostibus, spiritualem aquam, quae sitim in perpetuum restinguat, impertiturum se esse polliceatur (g), verum etiam omnes populos, qui confidentes sperarent, ac Deum in spiritu & veritate adorarent, in societatem Christianorum venire posse arbitretur (h) Hierosolymae autem propterea mentionem fieri existimamus, quia Christus ibi omnibus gentibus vo-

B 2

lun-

(d) Hebr. XI. 13.

(e) Joel. III. 1. 2. Act. II. 17. 18.

(f) Joh. IV. 22. Matth. XV. 24. adde testimonium Petri Act. II. 39. III. 26.

(g) Joh. IV. 10. 14. confer etiam Act. VIII. 14-17.

(h) Gen. XLIX. 10. Hagg. II. 8. Matth. XV. 27. 28.



luntatem Patris sui coelestis revelaverat, plenariamque peccatorum remissionem credituris annuntiaverat, & Apostolos jussit, ut in sancta urbe tam diu commorarentur (i), donec partim ipsi (κ), partim alii Judaei (λ), partim denique gentiles (μ) Spiritum Sanctum per fidem acciperent, ac spiritualia beneficia abundantissime impetrarent. Neminem igitur futurum confido, qui Rabbinorum commentationibus adstipularetur, gratiosissimumque Spiritum, de quo huc usque verba fecimus, angelum aliquem & ministrum misericordiarum interpretari auderet, aut ex sententia quorundam Socinianorum certum creatorum spirituum genus vel universum sanctorum angelorum chorum constitueret, quin potius unumquemque ambabus, ut ajunt, manibus largiturum esse opinor, quod vocabulum πν in commate nostro ὑποστατικῶς accipi debeat. Intelligitur enim tertia divinitatis persona, unius cum Patre & Filio naturae & dignitatis, ac nominis (ν), manifestationis (ξ), beneficiorumque (ο) diversitate ab iisdem distincta, quae in divinis tabulis non tam ob spiritualem essentiam vel spirituales effectus, quam potius propter spirationem ipsi propriam, Spiritus Sanctus audit, adeoque per spir-

(i) Luc. XXIV. 47-49. Act. I. 8. adde ex oraculis Veteris Testamenti Jef. II. 3.

(κ) Act. II. 4. 33.

(λ) ibid. v. 38. 41.

(μ) Act. X. 45.

(ν) 1. Joh. V. 7. Matth. XXVIII. 19.

(ξ) Matth. III. 16. 17. Marc. I. 10. 11. Luc. III. 22. Joh. I. 32. 33.

(ο) 2. Cor. XIII. 13. Joh. XIV. 16. itemque 1. Petr. I. 2.



rationem existit, & ab utroque, tum à Patre ( $\pi$ ), tum etiam à Filio ( $\rho$ ), ab aeterno procedit. Praeterquam vero, quod רוח רחמי Spiritus precum sive supplicationum appelletur, titulo etiam רוח חן Spiritus gratiae eum condecorari animadvertimus, atque exinde discimus, quod in illis, super quos effunditur, dona virtutum aliarumque excellentissimarum qualitatuum ( $\sigma$ ) pro singulari clementia excitet, ac omnibus, qui spiritualibus motibus non repugnant, favorem summamque misericordiam benignissime polliceatur. Evidentissimum namque gratiae documentum est, quando Spiritus Sanctus non tantum in gratiam ( $\tau$ ) recipit, sed etiam de divina gratia certiores facit omnes pios, quotquot eorum cum depravata carne luctari necessum habent, & per tot tantorumque beneficiorum considerationem facillimo negotio se induci patiuntur, ut coelesti illa ac efficacissima Spiritus Sancti gratia indignos se fore prope modum credant. Quapropter ante omnia, ne tristissimis ejusmodi dubitationibus nimium indulgeant, aut peccatorum & subsecuturae divinae irae gravita-

B 3

te

( $\pi$ ) Joh. XV. 26.

( $\rho$ ) Apoc. XXII. 1. adde symbola fidei nostrae Nicaeno-Constantinopolitanum & Athanasianum. Graecorum enim nonnullorum, πνεῦμα ἅγιον ἐκ τῆ πατρὸς διὰ τῆ υἱὸς προσερχόμενον Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedentem profitentium, confessionem neque cum sacris literis conformem, neque accuratam satis & sufficientem pronunciamus.

( $\sigma$ ) 1. Cor. I. 4. 5.

( $\tau$ ) Rom. XII. 6. Eph. IV. 7. itemque 1. Tim. IV. 14.



te deterriti plane perturbentur, vel ad desperationem perducantur, liberationem illis ab omni diffidentia certo promittit, humanasque infirmitates adjuvat (v), & accensam in cordibus ipsorum fidem non modo confirmat, verum etiam eandem subinde adauget (φ). Licet enim donum fidei omnibus Sacro-sanctae Trinitatis personis commune sit, & speciatim tum Patri (χ) tum Filio tanquam inchoatori & consummatori fidei (ψ) adscribatur, existimandum tamen est, quod Spiritus Sanctus, cum in fidelibus operetur, peculiari quadam ratione pro auctore fidei haberi debeat; unde in sacris paginis (ω) legimus, quod fructus fidei καρπὸς τῆς Πνεύματος fructus Spiritus nuncupentur. Quaecunque nimirum bona spiritualia ex fide propullulant, ea singula & universa Spiritui Sancto accepta referenda veniunt, & quot beneficia ordine commemorantur, tot etiam gratiae jure meritoque censentur, quia unus & idem ille Spiritus χαρίσματα (α) bona gratis donata secundum beneplacitum & gratiosissimam voluntatem suam distribuit, & quotiescunque regenitos egregiis donis ornat, toties thesaurum gratiae recludit, ac nova gratiae specimina quam cumulatissime addit. Divitiis profecto gratiarum adeo abundat, ut omnium, qui spiritualibus ejusmodi bonis gaudere cupiunt, desideriiis satisfaciat, cunctisque diversa beneficia magno numero largiatur, & nunc singula momenta, quae ad sapientiam necessariamque cogni-

(v) Rom. VIII. 26.

(φ) 1. Cor. XII. 9. coll. Eph. II. 8.

(χ) Jac. I. 17.

(ψ) Hebr. XII. 2.

(ω) Gal. V. 22.

(α) 1. Cor. XII. 4. II.



cognitionem pertinent, copiosius revelet ( $\beta$ ), nunc charitatem donet ( $\gamma$ ), nunc quoque in variis afflictionibus miserisque laetitia afficiat ( $\delta$ ), ac uberrima consolatione sublevet ( $\epsilon$ ). Inprimis vero homines ex statu mortis spiritualis ad mortem spiritualem transfert ( $\zeta$ ), ac saluberrimam quamlibet doctrinam docet, eosdemque in omnem veritatem ducit ( $\eta$ ), & tum renatos sanctificat ( $\theta$ ), ac in illis habitat ( $\iota$ ), tum de gratuita cum Deo reconciliatione & adoptione in filios Dei luculentissimum spiritui nostro testimonium reddit ( $\kappa$ ), tum denique vivificaturus aliquando mortalia corpora ( $\lambda$ ), ac in futura gloria glorificaturus ( $\mu$ ), aeternam haereditatem obsignat ( $\nu$ ).

Intellexistis, CIVES, non modo immensum & prorsus ineffabilem Redemptoris nostri amorem elucescere, quod Spiritum Sanctum in tempore mittere, eundemque post gloriosissimam ascensionem suam in corda fidelium largiter & abundantissima copia effundere voluerit, verum etiam Spiritum Sanctum credentibus ingentem spiritualium donorum numerum polliceri, ac omnibus illis, qui in foedus gratiae recipi cupiunt, gratio-

( $\beta$ ) 1. Cor. II. 10. XII. 8. Eph. I. 17.

( $\gamma$ ) 2. Tim. I. 7. Rom. V. 5. ( $\delta$ ) 1. Thess. I. 6. Psalm. LI. 13. 14.

( $\epsilon$ ) Joh. XIV. 16. 26. XV. 26. Act. IX. 31.

( $\zeta$ ) 2. Cor. III. 6. Joh. VI. 63. Rom. VIII. 2. 10. Tit. III. 5.

( $\eta$ ) Joh. XIV. 26. XVI. 13-15.

( $\theta$ ) 1. Cor. VI. 11. Rom. I. 4. XV. 16.

( $\iota$ ) 1. Cor. III. 16. & 2. Tim. I. 14.

( $\kappa$ ) Rom. VIII. 14-16. Gal. IV. 6. ( $\lambda$ ) Rom. VIII. 11.

( $\mu$ ) 2. Cor. III. 18. adde 1. Petr. IV. 14.

( $\nu$ ) 2. Cor. I. 22. Eph. I. 13. 14. IV. 30.



riosissimum se exhibere, nec minori eos dilectione prosequi solere. Vestrarum proinde partium erit, magnitudinem multitudinemque gratiarum pia ac devotissima mente agnoscere, vitamque & mores Vestros feriis hisce Pentecostalibus ad sanctissimam Spiritus Sancti voluntatem componere, ac in exuendis subigendisque infirmitatibus omne studium collocare, peccaminosasque cupiditates prorsus reprimere, quo divinae gratiae participes fieri queatis, & ampliorem felicitatis gradum consequamini. Eos enim gravissimas poenas manere, ac aeterna supplicia promereri cogitate, qui ubertatem bonorum diligenti ac sufficienti meditatione non considerant, sed ea, quae offeruntur, protervo animo rejiciunt, aut omnino pedibus conculcant, atque spiritualibus Spiritus Sancti motibus adeo resistunt (ξ), ut τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῆ Θεῆ (ο) sanctum Dei Spiritum contristari, & τῷ Πνεύματι τῆς χάριτος (π) Spiritui gratiae contumeliam facere haud erubescant. Quo inferioribus igitur bonis per gratiam Spiritus Sancti frui mini, eo magis τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα (ε) meliora eademque gratiosissima dona aemulamini, ac eo majorem operam navate, ut in clarissima Evangelii luce vivere pergatis, & gratiam gratis donatam serio cupiatis, eandemque rite aestimare discatis, ac pro eo, quod in gratiam Spiritus gratiae cooptari dignati estis, nunquam non gratissimi reperiamini. P.P. in Acad. Julia d. XIII. Maji five prima feria Pentecostes A. O. R. clbIdcccXXXI.


(ξ) Act. VII. 51.

(ο) Eph. IV. 30.


(π) Hebr. X. 29.

(ε) I. Cor. XII. 31.
























DE SPIRITV GRATIAE.

gratiae super domum Davidis & super  
Ierosolymae effundere se velle gratio-  
sus fuerit. Messiae enim in hoc priori  
quod paulo plenius explicare aggredi-  
tissimum istud donum ac memorabi-  
lissimi effusionem in Apostolos & quos-  
libet debere, non modo generatim ex  
sua consideratione intelligimus, sed et-  
iam ex argumento orationis, tum ex  
consequentiis cum antecedentibus,  
& collatione aliorum locorum Scriptu-  
rae. Magnum quidem scelus in vul-  
gendoque corpore suo Judaeos patra-  
verunt Christus in ara crucis, sed si  
Ierusalem reliquorumque circumstan-  
tibus, & ad testandos animi dolores  
non veram fidem corda emollirent, Do-  
minus & aeternae salutis auctorem ve-  
rissime agnoscerent, Spiritum Sanctum,  
qui ad Deum in ipsis accenderet, mis-  
serunt. Jam vero de nemine alio,  
sed de ipso, sermonem institui, disertis verbis  
testatur, quando spectatores, signorum pro-  
prietate deterritos, **אלי** semet-  
ipsum carnem transfixum intuituros fore  
testatur & universam passio-  
nis fontem & scaturiginem donorum Spiritu-  
alium, ac post glorificationem suam

quoque prius hemistichium.  
VII. 54. Marc. XV. 39. Luc. XXIII. 47. 48.